



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 58. Tumultus post Mahometis obitum Constantinopoli suscitati

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

& Magno Rhodiorum Magistro, omnibus ^{Sæcul. XV.}
 juratis Turcarum hostibus, suppetias ^{A. C. 1481.}
 quærere coactus est. Ad hos igitur fe-
 stinus accurrit, nonnisi quadraginta Equi-
 tibus stipatus, & per incognitas plagas
 diu noctuque progrediens, demum in Sy-
 riam contendit, inde vero per Arabiam
 desertam tandem Cairum pervenit. Hunc
 velut illustrem quemdam Principem
 Gait-Bey, seu Ægypti Sultanus summis
 honoribus excepit, ipsamque ejus uxo-
 rem, ac liberos paulopost Cairi adven-
 tantes haud vulgaribus benevolentiae si-
 gnis prosecutus est. Porro Sultanus Zi-
 zimum in gratiam Bajazethis reducere,
 ac concordiam inter utrumque fratrem
 conciliare studebat, frustraneo tamen co-
 natu, nec minus iniquo Zizimi rebus fa-
 to; quippe tot pacis articuli identidem
 proponebantur, ut Zizimus longiori mo-
 ra detentus, tempus consiliis suis maxi-
 me opportunum irreparabili fortunæ suæ
 damno otiosus perderet.

§. LVIII.

*Tumultus post Mahometis obitum Con-
 stantinopoli suscitati.*

Jamjam Bajazethes die decima nona
 Maji Constantinopolim venerat, nec
 tamen sine ingentibus obstaculis firmum
 imperii sui solium conscendere poterat;
 Proce-

Secul. XV.
A.C. 1481.

Procerum enim potissimi Zizimo favebant, sperabantque, se sub ejus regimine bene, fortunateque vitam transacturos, eoquod illum velut Principem præclaris omnino dotibus præditum venerarentur. Ea etiam ex causa illum Mahometes imperio magis aptum censebat quam Bajazethem ejus fratrem, qui in libidinem magis effusus, quam bellicæ gloriæ cupidus erat. Hinc sensim tantopere seditio invaluit, ut etiam ad manum ventum esset, ac Bassarum unus trucidaretur. Ad sedandum populi tumultum Bajazethis fautores Corchutem ejus Filium adhuc puerum, qui Constantino- poli educabatur, in regio solio collocabant, hacque via imperium Bajazethi asserebant; hic vero vix Constantino- polim advenerat, cum illico proprium filium suum in Asiam relegaret, quibusdam ditionibus eidem assignatis, ut hoc pacto exauctorationis suæ dolorem æquius toleraret. Ceteros quoque Filios suos in diversas Asiæ Provincias amandabat, eoquod sibi ab eis periculum imminere suspicaretur.

§. LIX.

*Amurathis Filius imperii Turcici
æmulus.*

Sub idem tempus apud Matthiam Hungariæ Regem Vir quidam diversabatur,